

Biblioteca
ASTRA, Sibiu

P.C.N.

19205

T1-204

128

COMPENDIUM
VITÆ,
Virtutum, & Miraculorum,
SANCTI
JOANNIS
FRANCISCI
REGIS,
SOCIETATIS JESU,

Romæ Anno M.DCC. XVI.

Italicè editum,

*Viennæ Austriæ Latinitate
donatum, & impressum*
Cum Licentia Superiorum.

CLAUDIOPOLI.

Typis Acad. Societatis JESU.
Anno salutis MDCCXXXVIII.

1288



Inv. 15



Viennensis in Gallia.

Beatificationis, & Canonizationis
Ven. Servi DEI Joannis Franci-
isci Regis Presb. Prof. S. J.

Dile 28. Apr. 1715. Dominicâ In
Albis horâ circiter 16. SS. D. N.
Clemens D. P. P. XI. in Palatio Qui-
rinali advocavit R. P. D. Prosperum
de Lambertinis fidei Promotorem, &
me infrà scriptum Pro-Secret. Cong.
S. Rit. nobisque dixit, elapsis diebus
videlicet die 2- labentis mensis in
Cong. habita coram S. S. propositam
fuisse, à R. D. Card. Imperiali causam
Vienn. in Gallia Beatif. & Canoniza-
tionis Ven. Servi DEI Joann. Fran.
Regis Presb. Professi S. J. discussoque
in ea dubio, *an constet de miraculis post*
obitum, in casu, & ad effectum, de quo
agitur, Sanctitatem suam audivisse
quidem omnium suffragia, sed distu-
lisse resolutionem, ut prius de more

in tam ardua deliberatione Div. o-
pem imploraret. Nunc verò cùm
id jam peregerit, ac præfertim præ-
teritis diebus in majoris hebdomade, ac
successivè paschalibus festis, supre-
mum luminam Patrem ferventiùs ex-
oraverit, ut cælesti claritate mentem
suam illustrare dignaretur, declaravit
se nolle diutiùs differre publicationē
suæ resolutionis, adeoque promulga-
rī jussit decretum, in quo pronunci-
avit: constare de duobus miraculis
tertii generis, nempe de primo, re-
pentinæ liberationis Joannæ Mariæ
Peret monialis à diuturna inferiorum
artuum ad motum impotentia & hy-
drope tympanite; ac de quarto instan-
tanæ sanationis Joan. Gasp. Monte-
réymar Aniciensis ab enormi hernia.
Et ita &c.

F. Cardin. de Abdua
Præfectus.

(L.S.)

N. M. Tedeschi, Ep. Lip.
S. Rit. Cong. Pro-Secr.

DECRETUM.
VIENNEN. IN GALLIA
CANONIZATIONIS
BEATI JOANNIS
FRANCISCI DE REGIS
Sacerdotis Professi Societatis
J E S U.

Postquam in Congregatione
Generali Sacrorum Ritu-
um habita die 19. Febru-
arii currentis anni coram Sanctissimo
Domino Nostro CLEMENTE Papa
XII. per Reverendissimum D. Car-
dinalem Pico Ponentem proposita fu-
it Causa Canonizationis B. JOAN-
NIS FRANCISCI de REGIS Sacer-
dotis Professi Societatis Jesu super
Dubio : *An, & de quibus Miracu-
lis constet post indultam eidem Beato
venerationem in casu, & ad effectum
de quo agitur : ex iisque Sanctitas
Sua, auditis DD. Consultorum, &
Reverendissimorum DD. Cardinali-*

um suffragiis , die 19. Martii ejusdem anni , Festo S. Josephi Beatissimæ Virginis Mariæ Sponsi , duo in tertio genere approbavit , videlicet : Primum Instantaneæ liberationis Mariae Annae Forget ab ingenita in infernis artubus ad motum impotentia , Toulouse In Ecclesia Societatis IESU , dum Beatificationis solemnia peragerentur : Et Secundum Instantaneæ sanationis Sor. Mariae Theresiae de Montplaisant Monialis Professa in Monasterio Visitationis Civitatis Sancti Amoris Diecesis Lugdunen ab ingenti Duricie , seu Tumore in Ventre , acuta febre , aliisque exitialibus Symptomatibus , morti jam proxima , nullo remanente morborum vestigio , ac viribus in continentis receptis : Tandem die 2. Aprilis dicti anni habita denuo Generali Congregatione Sac. Rituum coram eodem Sanctissimo Domino Nostro , propositoque à memorato Reverendissimo D. Cardinali Pico altero , quod supererat , Dubio : Anstante approbatione duorum Miraculorum ,

rum, tutò deveniri possit ad Solemnem ipsius Canonizationē in casu &c. omnibusque affirmativè respondentibus; nihilominus Sanctitas Sua resolutionem eodie differens, Cœlestis Luminis opem in tam gravi deliberatione tum suis, tum aliorum precibus petendam esse existimavit. Quod cum satis sequentibus diebus peractū esset, novissimè infra scripta die natalitia Sanctitatis Suæ, ac Divo Vincentio Ferreri sacrâ, quem speciali devotione prosequitur, accitis coram se R. P. Ludovico de Valentibus Fidei Promotore, & Me infra scripto Sac. Rituum Congregationis Secretario, præsens Canonizationis B. JO. ANNIS FRANCISCI de REGIS prædicti, quandocunque facienda, Decretum expediri, & publicari mandavit. Die 5. Aprilis 1737.


A. F. Card. Zondadári Pro-Præf.
Loco † Sigilli.

I. Patriarcha Hierosolymitanus S. R. C. Secr.

O R A T I O

Ad S. JOANNEM FRANCISCUM
*A Sacra Rituum Congregatione
approbata.*

DEUS, qui ad plurimos pro salute animarum perferendos labores B. JOANNEM FRANCISCUM Confessorem tuum mirabili charitate, & invictâ patientiâ decorâsti : concede propitius , ut ejus exemplis instructi , & intercessionibus adjuti æternæ vitæ præmia consequamur. Per Dominum nostrum JEsum Christum Filium tuum , qui tecum vivit , & regnat in unitate Spiritus sancti Deus , per omnia saecula saeculorum, Amen.



Nter tot, tantosque,
qui Seculo superiori
Societatem JESU zelo
Apostolico illustrarunt,
singularem locum si-
bi vendicat S. JOANNES FRANCI-
SCUS REGIS ob meritum præcipua-
rum virtutum, & frequentium mi-
raculorum. Primum lucem hausit *Ex pro.*
pridie cal. Febr. 1597. parentibus *p. 163.*
avita nobilitate inclytis, & ma-
gis fide semper integrâ adversus or-
thodoxam Religionem. Natale illi
solum Fons cooptatus, castellum
in Occitania inferiore situm, Nar-
bonensis Diœcesis. In cunis ad-
huc vagiens bellum gessit cum Or-
co: Hujus enim dolo credibile est
illud evenisse, quod nocte quâdam
nutricis indormientis lateri abstra-
ctus, ac fasciis evolutus sub hujus
lecto deponeretur: at credibile
quoque est, tutelari genio protegen-
te, effectum suisse, quod inibi da-
mni omnis expers fuerit repertus.



Dum

Dum ætatem teneriorem sub cu-
ra & vigilantia parentum laudabi-
Ex pro, liter exegisset, Biterras Septuma-
p. 55. norum Urbem ad Collegium So-
cietatis JEsu studiorum causâ mit-
titur, ut cum humana sapientia
justitiam imbiberet Christianam.
Quam genuinas verò dispositiones
pro hac & illa secum adferret puer,
illicò, & liquidò ostendit è docili-
tate indolis, teneritudine pietatis,
fuga otii, tractatione divinarum re-
rum, modestia Angelica, zelo in-
temeratae honestatis qui illum con-
tinuò cætum & vigilem, alios verò
solicitos continebat, ne seu dictis,
seu factis auderent coram aliquid,
quod licentiam oleret. Verbis &
exemplis JOANNIS FRANCISCI
admiranda vis inerat contubernali-
bus ingerendi tales pietatis ignicu-
los, ut appareret hos inter formam
vivendi introductam esse religiosa
vitæ similiorem. Tantam præferebat
primis in annis morum maturita-
tem, tantam aversionem ab omni-
bus puerorum obiectamentis, ut va-
cationum diebus plus orare in tem-
plo, aut pios domi libros legere
unacè posuerit in deliciis.

Eiusmodi vivendi ratio non *Ex pro.*
 mundo, sed DEO destinabatur. Spi-*p. 115.*
ritus sanctus igitur interno impulso *& 169.*
 clientem commonet de statu reli-
 gioso ineundo. Nequè de hoc du-
 bitandi locus supererat JOANNI
 FRANCISCO, eligendi duntaxat in-
 ter tot, quæ varietate suā Ecclesiam
 sanctam exornant, Instituti solicito.
 Haud diu secum deliberat: quoniā
 inter Ordines religiosos illi vide-
 bantur fini suo magis congruere,
 qui in salutem animarum desudant,
 & ex his præeligendam sibi duxit
 JESU Societatem. Sed ut in re tanti
 momenti certius divino nutui obse-
 queretur, plura præter consuetudi-
 nem adhibet jejunia & preces, su-
 per omnia verò sibi impetrare cona-
 tur favorem cœli Dominæ, cuius
 penè dici potest filius; adeò à prima
 ætate eam venerabatur, ut matrem:
 ne cum ex ephebis egressus, jam
 inter Parthenios ejusdem Sodales
 Biterris adscriptus. Divinâ ergò vo-
 luntate penitus cognitâ, totus fuit
 in promovendo pia sua desideria
 apud Societatis Superiores. Fama
 pietatis ejus, atquè innocentiae viam
 illi facile aperuit ad tirocinium So-
 cietas Tolosæ sexto idus Decem-

bres A. 1616. Idem erat JOANNI FRANGISCO pedem fixisse in illa Domo , ac sibi comparasse sanctitatem , quæ temporis processu ordinarios limites excedebat. Satis, superque sit innuere desiderium, quo viliissima Domus ministeria queritare; promptitudinem , quâ Superiorum observare nutus ; facilitatem , quam exhibere animadversus est sequendo ductum Magistri in omnibus iis , quæ levissimæ quantumvis regulæ observantia exposcit. Tandem in rerum divinatum contemplatione eam solatiori ubertate invenerat, ut quandoq; in dulces lachrymas solutus, quandoquè immotus , & sine sensu, totus in DEO defixus, interni ardoris ferendi impar crebro erumperet in voces igne divini Spiritus plenas , piisque mentis excessus pateretur.

A tirocinio votis religiosis DEO jam arctius adstrictus, ante , & post studiorum suorum curriculum ad erudiendam teneriorem in scolis juventutem applicatur. Dici vix potest , quam efficacia fuerint verba

*Ex pro. Magistri, quâ industriâ & zelo te-
p. 20. nello discipulorum animos pene-
G 177. travit, quantâmque iis ingesserit
teve*

reverentiam, atquè amorem dīvinæ Majestatis. Illos non tantum atten-
tos, verū & attonitos tenebat,
quotiescunquè cohortabatur vel ad
lethalis culpæ horrorem, vel orationis usum non interruptum, vel
perversæ societatis fugam, & super
omnia ad obsequium ceu famulo-
rum, ac amorem ceu filiorum erga
DEI parentem. Nec magis verbis
potens erat, quam exemplis. Ut
quis compungi se, componique
sentiret, satis fuit intueri JOAN-
NEM FRANCISCUM, ejusque An-
gelicam vultū modestiam, quæ
statim immodico fulgore perstrin-
xit oculos, ex oculis labebat in
animos.

Circa studiorum finem ad regale
sacerdotium promovendus in id to- *Ex pte.*
tus incumbit, ut ad litandam DEO^{p.} 287.
primam hostiam dignè se comparet, ^{208.}
adhibitis pœnitentiis, orationibus, ^{169.}
virtutum usu assiduo, aliisque no-
vis, quas fervori invenerat, pietatis
exercitationibus. Cùm tandem ~~ad~~
spicatissimum illud momentum ad-
venisset, mirabili charitate comite
se contulit ad aram; sub sacra my-
steria piæ flammæ augentur adeò, ut
erumpent inter adstantes omnes,

qui ultrò confitebantur se insolitis
animorum motibus ad devoti Neo-
mystæ præsentiam perculfos esse.
Percrebuit vulgo : sacrificii horam
esse pro P. JOANNE FRANCISCO
favorum tempus ; adeò tūm comu-
nicabat illi DEus multa vel secreta,
vel futura , & abundantius seipsum.
Ardor animi , mens abstracta à sen-
sibus , & absorpta in DEO , mode-
stia , decorum , & corporis confor-
matio , quæ prominebat à facie , ab
oculis , à verbis , à gestibus in illa
actione cœlesti majus aliquid hu-
mana ideâ exhibuere. Unde mirum
non est , populum , ut adesset sacri-
ficanti , avide accurrisse , velut ad
spectaculum piæ , tametsi metas
vulgares excederet , lege alia , quam
servore , non adstringendos.

Severioribus studiis vix absolu-
tis , curas omnes convertit , quo
jam dudum collimabat votis , in
Apostolicæ vitæ exercitationem.
Duplex via se illi primùm objicit ,
idonea utraque ad propositum sibi
finem perveniendi : quâ scilicet su-
dore & labore excolat vel urbes , vel
pagos. Altera erat magnifica & trita
magis , lucem nacta publicam , ap-
plausum populi comitantis , & ad-
mirans .

mirantis. Altera remotior ab hominum societate ad aspera montium, silvarum saltus, & squalorem magaliorum dirigebat: hanc nihilominus elegit vir Apostolicus, qui Ex pro. imo hujus partem seabram magis, p. 134. & difficultiorem iniit in asperis montanis 136. 140. Provinciae Vivariensis & Ve-142. launiæ, vastoque tractu Vivarii (olim Albæ Helviorum) Delphina-
 tūs ac Valentia. Quantum commis-
 serationis incolæ harum ditionum
 sibi ferè relieti ingesserant, tantum
 horroris peperere inaccessa viarum,
 glacies cum nîve quasi perpetua,
 commodi omnis, atquè vitæ hu-
 manæ solitorum defectus, ruditas
 & propè barbaries illarum regio-
 num errores inter & tesqua silve-
 scentium. Hæc tamen omnia inci-
 tamento, non terrori fuere zelo
 Apostolico P. JOANNIS FRANCI-
 SCI anhelantis labore & industriâ
 cum divino auxilio horrentia deser-
 ta in virtutum viridaria commuta-
 re, & uti mente designavit, ita dein
 opere feliciter effecit. Tempus, &
 loca, quæ delegerat, incommoda
 illi, præsidia aliis peperere. Hi-
 bernum tempus opportunius censem-
 bat ad instruendum miserum popu-

Ium : quandoquidem tūm suis in gurgustiis faciliūs conveniri pos- fent , & diligentius excoli , ubi iis arva colere non liceret , quia ob brumæ sævitiam , niviūmque copiam ne pedem casis proferre . Quan- quam & obversari debuerat tempus hocce Apostolicis excursionibus mi- nūs idoneum ; nam omnem præclu- debant aditum densæ nives , ut ne vestigium appareret ullum , nec ju- menta ipsa eò cogerentur . JOAN- NES FRANCISCUS tamen viam re- perit , semper in motu , & iter tam arduum pedibus semper emensus est . Per rupes & montes saepe inac- cessos reptandum illi erat , præcipi- tia , & torrentes superandi : nequè periculis aliis vacabat iter . Cūm diem peregrinando exegisset , sub vesperum fame non minūs , quam laßitudine cruciatus , in tugurio- lum aliquod , aut Cœliinjuriis per- viam maceriem diverterat , ibi inter incommoda & extremam inopiam gelidas illas noctes aëturus . Indul- gendum erat aliquid attritis viribus , spiritib[us]que tam arduo itinere , ut sudore diffueret , exhaustis : at lau- tam illi coenam panis mucidi buc- cella , lectum commodum culmo-

rum manipulus dedit. Prima luce
 se confert in Ecclesiam, hanc servatam
 inibi methodo: primum rudem po-
 pulum instituere, dein aures prae-
 bere pœnitentibus, tum dicere
 pro concione, & tandem incruen-
 tum sacrificium consueto ardore
 peragere. Tenui dein prandio sum-
 pto se illic redidit Ecclesiae ad ex-
 cipiendas confessiones, consilio ju-
 vandos dubios, discordes & ini-
 851.
 cos conciliandos: quod ea autho-
 ritate, & partium satisfactione prae-
 stitit, ut funditus evelleret omne
 dissidium, nec auderet aliquis post
 datam à JOANNE FRANCISCO
 sententiam ad aliud tribunal appellare.
 Sub vesperum exercitus Apo-
 stolicis coronidem imposuit dictio
 ad populum. Post tot labores re-
 stitutus tandem sibi met ipsi, & Deo,
 sibi quidem in cœna levissima pauca
 momenta indulgebat, DEO autem
 in Ecclesia potissimum noctis par-
 tem, quandoquæ noctem etiam in-
 tegræ. Insomptis ita in uno vi-
 co diebus aliquot pro mensura ne-
 cessitatis, ad alium se transtulit in-
 ter nives & molestias consuetas. Vix
 subinde pedem loco moverat, nox
 ingruens à termino constituto lon-

gissimè separat; ille nihilominus in-
ter noctis tenebras alacriter viam
prosequi, in voragine aliquando
præceps, aut pectore tenus immer-
sus nivibus, sine duce, & luce alia,
quam quæ ex nivis candore promi-
tabat. Accidit, ut in missione vi-
cum quendam peteret leucis qua-
tuor Anicio dissitum viâ declivi &
gelu lubricâ, in hac adeò infausto
casu sternitur, ut tibiam fregerit.

Ex pro. Socius quidem erexit non modico.
p. 51. conatu; at cum circum lustraret
oculis, currum aliquem, vel jumen-
tum, cui Patrem imponeret, reper-
turus: JOANNES FRANCISCUS
vulneris incurius, & solicitas dun-
taxat fructus in missione pariendi,
tantisper se colligit, & orationem
fundit, quam persolutâ cum sodale
discessum parat, tibiaque pendente
solius scipionis adminiculo reptat
potius, quam ambulat reliquum
iter duarum leucarum, quam vulne-
ris irritatione, quoque periculo,
pronum est cogitando assequi. Ve-
rûm ille, quasi vel mali nihil acci-
disset, vel deterius quid evenire
posset, mente aliud non volverat,
ac quamprimum adire Ecclesiam,
marisque aures accusantibus se de-
peccata-

peccatis. Sub hæc informatus loci
Curio solicite occurrit, vixque pre-
cibus impetravit, ut Servus DEI
moram aliquam domine ceteret: ad-
vocatur interea chirurgus, qui da-
mno diligenter inspecto, tibiæ qui-
dem fracturam ex osse penitus fissio
cognoverat; simul tamen viderat
sub feliori curâ, quam suâ, mira-
biliter consolidatam: nodo calloso
circum tibiam, qui recens fragmen-
ta collegerat, rei dante testimoniū.

Tam laboriosa, atquè tot periculis
obnoxia peregrinandi ratio illi mil-
lîmè infrequens erat; toties propè
candem denuo auspiciabatur, quo-
ties aliquam ex missionibus termina-
bat: nam sub cuiuslibet finem
circumquaquè obsecrus, & ferè op-
pressus fuit ab hominum turbis,
quæ savitatem JOANNIS FRAN-
CISCI devinctæ nec ab eo se avelli
patiebantur, nec ut aliis, ad quos
migratus erat, concederent il-
lum, persuaderi poterant. Nox pro-
inde litem dirimere debuit, quæ
vel ab invitis aliquid otii ideo ex-
torsit, ne omni penitus quiete de-
stitueretur: tûm ille relictus sibi *Expro-*
fugam capere nocturnis horis mil. p. 208.

nus suspicis, atque ideo magis ob-
scuris, locum versus novae missioni
deputatum: denuo proinde rever-
tebantur molestiae & pericula, lu-
ero tamen animarum compensata
per homologeses, quas adhuc in
via audierat eorum, qui sequeban-
tur multorum milliarium itinere,
diebus integris impasti; & vero
gaudebant tanti sibi stetisse solatiū
animæ comparatum. Denique ut
pervenit ad oram novæ missioni
destinatam, invenerat jam conser-
tum populum, qui Parochis suis
ducibus, aliisque è Clero, tum
finitimis, tum diffitis è regionibus
exciti sunt desiderio videndi, &
Ex pro. audiendi Sanctum; hoc enim no-
mine vulgo appellabatur. Eccle-
siam quatuor, aut quinque millibus
personarum occupatam dixisses so-
lemnia Paschatis agere. Pulchrum,
similque horridum fuit intueri eos,
qui loculum quendam ad seden-
dum vel super trabibus fulcientibus
templum, vel prostante è muris sa-
xo, non sine vitae discrimine sibi
comparârunt. Planum alicujus mon-
tis, vel apertus campus. Ecclesiæ
angustias supplere debuerat: ibi
quandoquæ lapis, quandoquæ trun-
ca

sus formabant suggestum, homole-
geterium tumulus vel nivis, vel sa-
xorum. Sub tantorum laborum
onere fatiscebat, ferè oppressus lan-
guoribus & deliquiis, ut inter con-
cionandum seminecēm Auditorum
brachiis excipi, & aliò transferri
necessē fuerit.

Provinciæ Vivariensis princeps ^{Ex pro-}
civitas Anicum avida veniendi in
partem laborum tantopere profi-^{P. 122.}
euorum, quos DEI Servus magnā
liberalitate ruri hactenūs, vicos &
oppidis impenderat, enixē petiit à
Superioribus Societatis ejusmodi
gratiam, atquē impetravit. Ideo
pro stabili domicilio assignatur S.
JOANNI FRANCISCO Collegium
nobilis illius & populosæ urbis,
quò se conferret, velut ad hiberna
miles, obitâ missione consuetâ,
partisque spoliis in vicinis pagis,
atque in charissimis sibi montanis.
Quanquam etiam in medio illustris
adeò civitatis prævaleret genius,
quo cerebatur in pauperes, ac mi-
nisteria minus splendida. Qua-
propter, relictis aliorum culturæ
palatiis, & majoris momenti at-
quē existimationis exercitiis, ope-
ram omnem ac curas convertit in

Ex pro. infimæ plebis obsequium. Svavior
p. 122. illi occupatio erat tabernariis &
137. famulis rudimenta fidei explicare ,
 statis diebus in ampla S. Petii Ec-
 clesia coactis : ubi tamen, quomo-
 docunque de se humiliter sentiret,
 videre debuerat affluxum virorum
 illustrium , nobilium matronarum ,
 Sacerdotum & Religiosorum quam
 maximam aviditate accurrentium ,
 nec minori oblatione percipienc-
 tium discursus, quos planiori quam-
 dam methodo concinnabat studio-
 rum capacitatibus accommodatos . Si
 quis è dilectis pauperibus ad Eccle-
 siam se conferre non poterat , vel
 ægritudine , vel nudæ mendicita-

Ex pro. tis rubore prohibitus, adibat prom-
t. 123. ptè tugutia eorum , atque præsidia
 iis non animæ modò , verum &
 corporis suppeditabat . Eâ de cau-
 sâ divinæ Providentiae sumptibus in
 Collegio erexit penularium , seu fun-
 dum prædivitè , ex quo abundanter ,
 prout libuit , promebat vestes , culci-
 tras , tegumenta , aliámque laneam
 & lineam supellectilem , vigili ejus-
 dem charitate comparata , ex cuius
 plenitudine hæc ipsa in proprios
 humeros sublata per vias publicas
 detulit in casas usque egenorum .

Disper-

Dispersas deinde per Civium do-
mos habebat pro alimento paupe-
rum arcas frumento plenas: Unam *Ex pro-*
harum propediem evacuari pia mu-*p. 135.*
lier, quæ depositum hoc custodie-
bat, Patrem monet: *Scrutare diligenter*
gentius, reponebat ille, adhuc
super esse aliquid mihi præfigit animus: illa laborem causata iniuti-
lem, cùm omnem antè angulum
pervestigasset, parere tamen de-
buit, & denuo arcam lustrare: &
ecce! nemine opinante arca non
solum plena, sed frumento super-
abundans reperitur: nequè hoc mi-
raculum semel duntaxat accidit,
sed iterum, iterumque erat inno-
vatum, eodem successu, eadémque
admiratione sub sequente: unde ab
omnibus honorifico pauperum Pa-
tris nomine condicorari meruit.
Pars hæc aliqua fuerat pietatis &
curæ in pauperes. Ponè verò Pa-
tris munus gerebat pariter officium
Tutoris, Procuratoris, & Advoca-*Ex pro-*
ti: ipsemet mercedem illorum *p. 143.*
semper promissam, nunquam solu-
tam, à tenacibus Primorum ma-
nibus exigere, in favorem eorum
obire tribunalia, pro tuendis illis
perorare, iam urgendo fortiter,
jam

jam Supplicationibus instando , de-
 nec tandem vel justitiam , vel gra-
 tiām impetrāsse. Quandoquidem
 verò exercitia majoris momenti Sa-
 cerdotali gradui adjuncta non si-
 nebant , quoquò vocarent tot pau-
 perum calamitates , accurrere , pru-
 dentes & pias feminas elegerat ,
 quæ vices P. JOANNIS FRANCI-
 SCI explerent , & partitis inter ipsas
 labōribus obirent Civitatem , atquè
 egenis opportuno præsidio essent .
 Non tamen facile communicabat
 aliis , sed avidè sibi reservabat ma-
 jores actus charitatis , quos & fre-
 quentes exercuit , & cuivis homi-
 num generi impendit , in xenodo-
 chiis , & ergastulis captivorum .
 Ad instar venationis jucundissimæ
 fuit illi excursio ad vile quoddam
 tuguriolum Suburbii Aniciensis :
 Ex pro. jacebat hic misera & pauperrima
 p. 250. semina , cadaver priùs , quām mor-
 tua , nam ex insanabili cancerēna
 sævè tota depascetur , & jacebat ,
 quod commiseratione dignius , ab
 omnibus derelicta : nemo unus vel
 eminus accēdere purulentam sa-
 niem , minùs affistere ausit . Satis
 erat scire P. JOANNEM FRANCIS-
 CUM : accurrit protinus , lātam

sibi sortem obvenisse gaudet, visceris charitatis explicat omnia, visitat, assidet lateri, consolatur, succurrit: nequè per transennam duntaxat, & raro, sed singulas in hebdomadas sæpius admirabili constantiâ præsidium pro morbo, & subsidium pro paupertate applicuit.

At provinciam votis suis conformatorem se naclum esse arbitrabatur epidemica lue Anno 1630. Galliam crudeliter devastante, quando calidis precibus, & calidioribus lachrymis apud Superiores institutis pro impetranda facultate se peste infectorum obsequio devovendi: Quod verò auditus non sit, magno dolore demeritis suis adscripsérat. Occasio hæc tūm illi negata favere deinceps videbatur, cùm An. 1639. clade maximâ sæviret pestis in di-
 tione Montis Falconis, loco vicino ^{Ex pro-}
 illi, ubi Missionarius degebat: Vir ^{P. 347.}
 sanctus subito illuc convolare, jubiloque plenus se sistere Parochio
 ad omnia ea officia, quæ temporis
 conditio exposceret in spirituale
 & corporale subsidium misericordum:
 nullis quantumcunquè violentis
 ferè precibus consensum à Parochio
 extorquere poterat P. JOANNES
 FRAN-

FRANCISCUS , ne paucorum emolumento vitam suam discrimini objiceret bono communni tantoperè utilem opponente : exoravit duntaxat , ut subsidium hoc in ardentes preces pro se , subque populo commutaret : nec absque divinatione ; nam Servus DEI ter benedicens dictio nem illam prædixit coram eodem Parocho , plurib[us]que loci illius spectabilioribus incolis luem quam primū indē longius recessu ram : quemadmodū & evenit . Verū ille excitus cupiditate tandem , quod adeò ardenter ambiebat , se contulit ad vicum propinquum monti Aspetto epidemiā tum etiam infectum , hīc posteà contemptis omnibus , totus abiit in obsequium infirmorum , licet absque sperata mercede gloriōsae mortis , tot ab illo modis provocatæ , imò cum lucro integræ sanitatis , tametsi eam periculis manifestis exposuerit .

Hæretici pariter Zelum P. JOANNIS FRANCISCI sensere magno numero per eum ad Ecclesiæ ovile reducti . Eorum ignorantiam institutione , duritiem efficaciā superabat , & tolerantiā , & ubi nec

hāc

hac, nec illa proficerat; oratione.
 Mirabiles dein erant suavitatis, at-
 que prudentiae artes, quibus sibi
 illorum animos devinciebat, adeo
 ut, dum absoluta missione ex uno
 loco transitum parabat in alium,
 una cum Catholicis confluenter
 acatholici, non impari veneratio-
 ne, atque amore comitantes.

Amplius adlaboravit Catholicos *Ex pro-*
tempore quodam, aut frigore potius ^{p. 395.}
 penè enectos à pessima vitiorum
 via ad virtutum semitam traducen-
 do. Vix unus aliquis obscenuni-
 dictum, vel imprecationem, vel
 blasphemiam proferebat, confessim
 ille sancto Zelo exardescere, acri-
 térgue reprehensum coegerit non
 modò audaciam ponere, sed &
 verba corrigeret: atque in hoc ge-
 nere tantum sibi authoritatis & po-
 testatis indeptus est, ut ne quidem
 opus esset videre ejus personam,
 nomen audire sufficiebat oppor-
 tunè in memoriam revocatum, &
 jam evanescebant ejusmodi sermo-
 nes ore abutentium. Nemo ex iis,
 quos reos vel lusus, vel crapulæ,
 vel rixarum conscientia arguebat,
 illius conspectum etiam eminus-
 subire sustinebat; sed mox ut vidit
 adver-

advenientem, fugâ horrorem suum manifestabat.

Quanquam arma P. JOANNIS FRANCISCI, ut animos contumaces destrinpharet, non semper erant imperia, & minæ: saepius & libenter dulcibus reprehensionibus utebatur, placido suo genio, suavique agendi modo magis accommodatis. Intellexerat vias obliquas fraudium & usurarum, quibus in dies amplius ad magnas opes, & manifestam simul animæ ruinam mercator quidam progrederetur: hunc adivit extemplo, merces, necno quas, comparaturus; pretium largiter exsolvit primò petitum, laudat merces, & nundinatorem, commendat apud alios officinam, ipsemet emptores adducit. Tot artibus primò sibi ejus affectum devinxit, dein animam afferuit DEO.

Eadem felicitate & arte lucratus est Civem aliud à sceleribus, vitæque licentiâ, quâ plurimos in perniciem traxerat, famosum. Satagebat DEI famulus opportuno tempore & modo eum attrahere sibi, at semper irrito eventu. Demum explicuit vincula charitatis suæ: sensim magis se insinuat in ejus familiati-

liaritatem , animum confidentem
occupat : quo obtento , illum dili-
genter excusat , crebrius domi visi-
tando : multus erat datâ opportu-
nitate in laudando quâ ingenio il-
lius , quâ aliis prærogativis : tan-
dem post hos cuniculos animæ mo-
nita ingerit , secundo eventu , cùm
ad sinceram & generalem homolo-
gesim induxisset : in qua denuo vi-
cit Patris benignitas ; nam pro gra-
vissimis criminibus pœnam impo-
suit levissimam : admiranti isthoc
responderat , suis illa se adjungere
debitis , & proprii sanguinis pretio
se pro ea cum Justitia divina trac-
turum.

Et sanè in hac , aliisque ejusmodi
occasionebus cum omni rigore pro-
missis stetit . Cùm ægitudinis cau- *Ex pro.*
sâ vestibus quondam illum nudarep. 133.
opus fuerit , videbatur tergus con-
tusum , vulneratum . & tabidum
Ex crebris & validissimis flagello-
rum iecibus . Viēus quotidianus *Ex pro.*
constabat tenui vel pomorum , vel *P. 76.*
herbarum , vel vilissimi alicujus ,
atquè ruralis cibi mensurâ : nequè
vino , sed frigidâ potus definieba-
ter . Somno nil commodius obve-
nit , capto vel super nudis afferi-
bus ,

bus, vel durâ humo; & carpit
duntaxat; cùm naturæ reddi debi-
tum oporteret. Verbo, quidquid
poterat aliquomodo sensus oble-
ctare, illi incognitum fuit.

Hæc fomenta tot inter, & into-
lerabiles suarum millionum labores
usurpabat. Illorum usu non modò
alienam salutem intendit, verùm
etiam propriam, præsidium vide-

Ex pro. p. 106. licet Angelicæ puritatis, quam in
gradu tam præcellenti habuit, ut
non solum nulli maculæ, sed ne

173. quidem stimulo, & carnis rebellio-
ni fuerit obnoxia. Privilegium
adeò rarum secretò confidit cuidam
amico suo: nec deest testis, qui ju-
rejurando affirmat se ex eo referen-
te audivisse, quod Cœli Imperatrix
dignata fuerit illum securum red-
dere, sanitati ejus nihil obscurum
potius aquæ usum perpetuum, cui
pœnæ se adjudicaverat, ut per
hanc ad conservationem beatæ il-
lius exemptionis ab omni rebelli
motu cooperaretur.

Cœlicam hanc virtutem uti in se,
ita in aliis diligentissimè excolebat:
porrò vitium contrarium hostis ejus
erat infensissimus, quem ubique, &
viribus omnibus oppugnaverat. Fa-

ma fuit, P. JOANNEM FRANCI-*Ex pro-*
 SCUM accepisse à DEO peculiarem. 133.
 virtutem exterminandi, ubicunque
 reperisset, infelix illud mulierum
 genus, quæ animam simul cum cor-
 pore venum exponerent. Certum
 est plures earum afferuisse, sibi men-
 tem & cor penitus immutari, mo-
 dò accederent ad confitendum DEI
 Famulo: pauca, sed ponderantia
 verba, quibus cum iis agendo ute-
 batur, erant conjuncta cum tanta
 vultus modestia, gravitate, & spi-
 ritus ardore, ut non hominis, sed
 Angeli verba illis viderentur. Ha-
 rum una tamdiu, & profundè adeò
 turpi cœno immersa fuit, ut dum
 Patrem ad tentandam ejus conver-
 sionem accinctum ab Episcopi Vica-
 rio mox audire oportuerit: rem de-
 speratam esse; oleum & operam ip-
 sum perditurum: *Ita evenit illi, re-*
posuerit Pater, qui confidit in viribus
humanis; si vero spes omnis repona-
tur in DEO, non erit ita; & ita non
 fuisse docuit eventus: nam vel pri-
 mis cum Patre alloquiis se dedidit
 femina ab eodem velut nobile &
 memorandum vietricis gratiæ tro-
 phæum in tuto locata. Si intellige-
 ret usquam tale scortum latere, san-
 ctæ

Etâ audaciâ penetrabat, & prædâ de-
tectâ quasi prædominio pollens è
manibus, & domo Protectorum,
vel potius Proditorum, quantum-
vis potentium generosè abstrahebat.

Ex pro. p. 141. Fremebant in fortē adeò Pro-
pugnatorem honestatis lenones im-
puri, & postquam in illum, quan-
tum occurrebat, fudere calumnias,
contumelias, sannas, ut famam,
sed frustra, laederent, palam in-
eius vitam conspirârunt. Inopina-
tò itaque Virum DEI aggrediuntur,
dum puellam quandam infami cœ-
tu raptam in locum securum addu-
ceret. Nudi enses collo, acuti pu-
giones pectori applicati Patris, pri-
ma fuerat eorum salutatio: dein
voce minanti vel puellæ restitutio-
nem, vel mortem paratissimam in-
dicunt. Animo libero, & impavi-
do vultu tantisper hæret Vir san-
ctus: Subinde, si non aliud, dixerat,
quam necem mihi intentatis, oro, ne
fatigemini: en peclus, quod illam
recipiet; & apertâ subito veste, il-
lud sicariis obtulit: huc ergo jacite
tela vestra, hoc, quantum libet, per-
fodite: Certi interim, puellam vobis
posthac nunquam restitutum iri, do-
nare mihi vel vita, vel spiritus superfit.

Illi ad hæc immobiles & attoniti admiratione in expectatæ fortitudinis perstitere, nec audebant quidquam porrò intentare: hic verò pes medium armatorum transiens puellam in securum reposuit.

Aliorum autem temerariorum rabies non minis solum claudebatur. Hi efferati cum viderent à famulo DEI aditum omnem indomitis suis *Ex pro. cupiditatibus intercludi, sudibus ar.* p. 332. mati eum adoriuntur, majorēque, ac grandinis, impetu diverberant: nec verbo ille, vel gestu se defendere, scapulas ultrò offerre percussoribus, & verbera DEO, piâ at religiosa oculorum, atquè manuum in cœlum erectione. Meliorem natâ est exitum fraus, quam adorna-*Ex pro. bant tres alii fœdi lenones: sub cre.* p. 157. puseulum, temporis opportunitate observatâ, se conferunt ad Collegium, præit eorum audacior, & sanctum hominem acciri jubet: ad primam vocem accurrit illicò JOANNES FRANCISCUS, credens se invitari ad audiendam confessio- nem, cum reapse ad mortem quæ- reretur: ast in ipso occursu impro- visum de cœlo lumen, quod oppor- tunè menti illuxerat, totam ex- erat

erandæ in ejus vitam conjurationis
 seriem sub voce evocationis ad ja-
 nuam reconditam intellexit: atta-
 men eadem celeritate viam prose-
 quitur intrepidus, & primùm salu-
 tato amicè impudentissimo illo ga-
 neone, secum illum perducit ad
 Ecclesiam: hic eā verborum ener-
 giā animum ferit, ut illico mutatus
 in alium humi se sternet, implo-
 raret veniam, & apud Patrem ho-
 smologesim institueret. Redux ad
 socios, mirabili casu exposito, Pa-
 tris benignitate, & conscientiæ tran-
 quillitate, quam culpis depositis
 sentiret, præconiis celebratā, adeò
 illos permovit, ut & ipsi ad Patrem
 se conferre non tardarent, simile
 quid experturi: quod & mirabili-
 ter evenit, multumque superavit
 exspectationem benignitas Patris,
 quā fuerant excepti, & sacramen-
 tali peccatorum absolutione tanto
 solatio suo impertiti. Pessimi alii
 ferociores adhuc tandem confite-
 bantur, paratā jam ipsi morte, &
 eodem, quo ruere in casses debe-
 bat, tempore, invisibili quadam
 vi retractos se, atquè absterritos.
 Erat, qui vindicaturus se pellicis
 abstractæ causā Patrem in via pub-
 licā

lica aggressus humi prostravit, im-
mersit cœno, & furiosè conculca-
vit: nequè aliud DEI famulus tam
atroci ludibrio prostitutus fecit, aut
dixit, quām socio, qui accurrerat,
prohibuit, ne ullo modo se oppo-
neret. Impudens quidam procus
excussum Patri infregit colaphum;
at ille hilariter maxillam alteram
offerebat. Neque hoc contentus,
Advocati insuper munus gerit in
favorem ejus, qui apud magistra-
tum postulabatur alterius enormis
alapæ P. JOANNI FRANCISCOpa-
lām inflictæ; nam interrogatus à
Judicibus de nefario ausu, non so-
lūm non quiritari se de illo respon-
dit, sed omni etiam meliori modo
eosdem contestatus est ad deponen-
dam causæ hujus inquisitionem,
reūmque illum absolutum libertato
donandum, quem vel ipsa pars,
quæ ferebatur offensa, defenden-
dum totâ contentione suscepit. Pro-
lixia nimium foret narratio, si re-
censerem, quoties vel verberibus
fuerit affectus, vel conversos in se
viderit pugiones & acinaces, vel in-
venerit se illusum, atquè derisum
à protervis illis, qui, ut charitatem
viri traducerent, concubia nocte

eum evocârunt specie ad moribundos deducendi; deduxerunt autem per viarum ambages, & repente tandem in media via diffugere, solennibus sibilis, & cachinnis excus-

Ex pro. sis. Alii nec curabant tenebris ob-
p. 303. nubere impudentiam suam; in luce, & palam primò saepius immaterialiter concussum, dein fannis explosionum, & abactum, luto tandem, aliisque sordibus oblitum, velut petulantiae suæ scopum habebant. Sed tantæ patientiæ & mansuetudinis luce aperuere denique oculos ipsi etiam persecutores P. JOANNIS FRANCISCI, & seriùs, aut ci- tiùs laudibus extollere coacti sunt virtutem, quam prius oderant.

Nihil tamē illum vulnerabat amplius, quam cum videret viros spectabiles & authoritate, & sapientiam ardentibus suis opponi propositis, ad quæ se potenter ab interno instinx, & claro DEI lumine rapi senserat. Illa attentatio scabrosissi-

Ex pro. ma reducendi ad frugem mulieres
P. 76. deperditas timorem nonnunquam & solicitudinem peperit Superioribus Societatis, ne per eam aditus ad murmurationes & calumnias aperiretur. Quapropter si, ut ejus-
mo-

modi oves deperditas inquireret ;
 vel ut jam inventas traduceret ad
 ovile aliquod , citius illi exeundum
 erat Collegio , aut tardius redeun-
 dum , quam inter nos afolet : si
 partem in his aliquam habentes vel
 pro affectu , vel parentela in præ-
 dam ereptam quiritabantur , & re-
 clamabant : Superiores tantorum
 tumultuum inquiete vexati in JO-
 ANNEM FRANCISCUM asperis
 verbis , & amaris reprehensionibus
 clam & publicè animadvertebant .
 Et sanè modus , quem Vir sanctus
 in operatione sua sequebatur , erat
 adeò novus , & ita excedebat soli-
 tos prudentiæ ordinariæ limites ,
 ut periculum esset , ne ea specie
 Sapientioribus imponeretur , & si-
 nistram ii opinionem formarent .
 Id optimè discernebat DEI famulus ,
 solitus exquirere specialia dictami-
 na Spiritus sancti , qui ubi vult spi-
 rat , sed nescis , unde veniat , aut quo Jo. 3.8.
 datur , atque lumen superiorum
 humanis principiorum . Unde ali-
 quando candidè & confidenter fas-
 sus est cuidam è Sociis , æquale sibi
 bellum indicere Vitia , & Virtutes ,
 Vitia malorum , & Virtutes probo-
 rum , qui perperam informati falsis

relationibus, & apparenti virtutum
 colore decepti vel impediverunt,
 vel sufflaminarunt Patris consilia.
 Tum duos inter contrarios affectus
 constitutus doloris vehementia to-
 tus se consumebat, & quanquam
 Divinæ Providentiæ ordinationi-
 bus, nutibusque obedientiæ reli-
 giosæ caput reverenter inclinasset,
 non poterant tamen ea, & profundè
 quidem, animum non vulnerare,
 ut ejusdem intemperies, licet à vir-
 tute repressa, è vultu etiam legere-
 tur, & in non leve valetudinis de-
 trimentum aliquando vergeret. Hoc
 eventus docuit, cum hinc moni-
 tus de periculi gravitate ægri cuius-
 piam, & inde interdictus particu-
 laribus de causis domo exire, in
 morbum ipse incidit improvisæ fe-
 bris, quam familiaris quidam casu
 occurrens ex arteriæ pulsu cogno-
 verat. Nihilominus Zelum tempera-
 turus, quo divini obsequii opera
 promovebat, potissimum profemi-
 narum pudicitiæ tutamento, om-
 nemque occasionem licet illegiti-
 mam apud populum declinaturus
 censurandi actiones suas, atquè
 etiam prospecturus, ut cum maiori
 securitate & constantiâ mulierum
 jam

iam conversarum saluti consulere-
tur, operam dedit asylo in ædibus
quarundam matronarum aperiendō,
quarum illustris conditio &
probitas esset veluti scutum ad re-
pellendum furorem impiorum, &
repagulum muliebris inconstantiæ
& mutabilitatis. Pias has inter ma- Ex pro.
p. 273.
tronas erat, quæ domi suæ quin-
denas eiusmodi personas aluit, vi-
cenas altera, néve earum familiæ
tanto numero & pondere gravaren-
tur, obibat P. JOANNES FRAN-
CISCUS civitatem pro pio ab opu-
lentioribus subsidio conquirendo;
constituit interea fundare aedes cer-
tis redditibus dotatas, idoneis-
que directas legibus, ubi omnes si-
mul recipi possent. Consilium hoc
morte succisum, post Servi DEI
obitum, eiusdemque, ut credere
fas est, intercessione, feliciter con-
summatum fuit non Anicii modò,
verùm & in aliis civitatibus.

Mors interea magnis pañibus il-
li appropinquat condigno præmio
coronatura labores, qui in tantum
excreverant, ut nec valetudo, nec
vita iisdem ferendis pares essent.
Hanc ut interius Cælesti lumine Ex pro.
cognoverat, omnes vitæ suæ annos p. 236.

generali homologesi ad rationes vocare constituit, & ad ultimum viæ actum claudendum singulari industria se comparare. Mense igitur Decembri Anni 1640. iter directum Lalovesium versus, duorum dierum itinere Anicio dissitum. Nox viatorem obruit, in mapali quodam divertere compulsum; sed quia ab inhumano hospite reiectus est, ultrà progrediebatur. Tandem defatigatus recepit se ruinosum quoddam in tuguriolum, dudum iam desertum, inhabile videlicet ad recipiendos alios hospites, præter ventos & pluvias, quibus pro libito aditus patebat. Mœstissimam hic noctem egit tot inter calamitates pleuritide insuper ex improviso correptus, quā patienter toleratā, die sequenti, Nativitatis Domini nostri pervigilio, itineri se denuo pedes accinxit, utque pervenit Lalovesium, iuxta morem suum rectā petiit Ecclesiam, prostratis tametsi viribus, & valetudine male affectā.

Ex pro. P. 244. Porrò solennissimā Nativitatis Christi festivitate non potuit sibi impetrare, quin ter pro concione dicaret, totiesque die sequenti. Interea morbus magis magisque invalescit,

partim pharmacorum in miserrimo
 illo vico non sperandorum defectu,
 partim ægri incuria, plus soliciti
 sibi merita, quam doloribus leva-
 men indipiscendi. Ita omni hu-
 mano præsidio destitutus, acrius-
 que semper a febri quassatus cognos-
 vit diem supremam haud longè ab-
 esse: solicite igitur petiit, & pari
 pietate suscepit extrema Sacramen-
 ta. Recurrens diebus illis memo-
 ria neo-nati in stabulo Servatoris
 piam ei cogitationem indidit, vo-
 luitque se deferri ad stabulum Pa-
 rochi ædibus contiguum, ut, ubi
 Christus ejus amore vitam auspicabatur, ipse Christi exemplo saltem
 vitam posset terminare: Peticio-
 nem adeò inexpectatam miratus
 Parochus omni industriâ dissuadere
 conatur, honestiorem, commo-
 diorēmque ei stationem assignan-
 do, sed frustra: quare tantæ pie-
 tati invitus tandem indulxit. Po-
 stremos dies mensis postremi la-
 bentis insumpit omnes precibus
 solito ferventioribus, teneris affe-
 ctibus, & dulci memoriam æternam
 Sanctorum beatitatis, dum repente
 videt aperiri Cælum, & descendere
 Iucidissimam Beatorum coronam

patum cum divina Matre DEI Fi-
lium , séque invisere unà, ac vultu
benignissimo invitare ad præmii la-
boribus suis constituti possessionem.

Visione hac & invitatione jam penè

*Ex pro. Beatus moriens exclamabat : Video
p. 396. meum JESUM, video meam, &
Ejus Matrem, & jam mihi referant
paradisum ! Hæc dicens omnino in
manus Domini sui spiritum tradi-
dit pridie Cal. Jan. Anno 1640.
ætatis suæ quadragesimo tertio, qua-
tuor & viginti laudabiliter egit in
Societate JESU.*

Die beati ejus obitūs multa homi-

*Ex pro. num millia, quasi sibi condixissent,
p. 236. & tamen nemine conscio, quomo-*

*244. dò , aut quo monente convocaren-
tur , ad Patris funus convenerunt.
Quibus non obtigit particula vel
ejus vestium, vel alterius rei, vel pa-
leæ saltem , in qua obiit , se ad de-
populandum ejus sepulchrum con-
verterunt , atquè inde colligendam,
velut thesaurum, terræ glebam, quæ
postmodùm delata in varias regio-
nes retinet ubiq; virtutem miracu-
losam sanandi quodlibet morborum*

*Ex pro. genus. Sic Lalovesium vicus pri-
745. mùm adeò ignobilis , montium in-
ter horrores retrusus , quò ob situs
infe-*

infelicitatem vix accedi poterat, ac tribus solum, quatuorve male sartis tuguriis definiebatur, hodie post grande pignus venerandi adeo, atque glorioli sepulchri caput erigit, indiesq; magis nomen suum & famam promovet, domiilia auget & incolas, estque piarum peregrinacionum nobilis terminus, & recipit anathematum, ac munerum tributa à civitatibus, atque Provinciis. Nec valet asperitas locorum, vel hiemis illic saevientis rigor, aut regionum distantia areere populos, quin certatim & unitim in dies confluant ad *Ex pro-* depromenda quæ officia sanctitati^{P. 397.} adeo venerandæ, quæ preces ad im- petrandum in necessitatibus auxilium, quæ pro auxilio jam impetrato gratiarum actiones, & votorum complementa.

Merito igitur duo & viginti ex Archi-Episcopis, & Episcopis, totidem Duces, Marchiones, Comites, & Vice-Comites, & supra quadraginta alii viri illustres potiorum civitatum Ablegati, congregatique in Occitania A. 1704. communi consensu in Acta publica relato, demississime summo Pontifici supplicandum esse statuerunt, ut sacris honoribus

P. JOANNIS FRANCISCI REGIS merita
coronaret. Archi-Episcopus Nar-
bonensis, qui confessui praeerat, ex-
hibuit Regnanti CLEMENTI XI. com-
munia vota cum literis energicis
Monte Pessulano Galliae urbe pridie
idus Januarii anno eodem datis, in
quibus perhibet, videri nostrâ æta-
te è P. JOANNIS FRANCISCI sepulchro
resurgere antiqua prodigia, quo-
Matth. 21.v.5. rum meminit sacra pagina: *Cæci vi-
dent, claudi ambulant, surdus audiunt.*
Eadem continent epistolæ Archi-
Episcopi Viennæ Galliae, ac Episcop-
porum Anicii, & Valentiae ad eun-
dem Summum Pontificem exaratæ:
qui viri illustres eò majorem dictis
suis haberifidem exigunt, quòd Dicæ-
ceses eorum Servi DEI virtutibus &
gestis quondam theatrum fuerint;
ipsique à Sede Apostolicâ deputati
ad examinandos testes, ad forman-
dos rite processus de virtutibus &
miraculis ejusdem, facilius, atquè
penitiùs aliis omnibus, virtutum &
gloriosarum actionum P. JOANNIS
FRANCISCI veram ideam concipere
potuerint, Ipsi ergò auditis testium
omni exceptione majorum numero
statuto juramentis cum requisitis à
Jure formulis omnibus authenti-

cant relationem muneri suo conformiter obtulerunt, honorificâ Servi DEI virtutum & miraculorum factâ contestatione.

Non extra, nec ultra rhombum fore arbitror, si nunc primùm brevi narratione prosequar virtutes, & illas potissimum, de quibus vel nihil, vel confusè duntaxat aliquid fuit suprà memoratum. Teneri in DEum amoris fidelissimus testis erit *Ex pro.* vita integra, quā unicè optabat om-*p. 140.* nium hominum animis imprimere cognitionem, reverentiam, & amo-rem Creatoris. Hic sanctus amor fuit ejus cogitationum, verborum, ac cujuscunquè motus anima, reli-quis omnibus jam mortuus videba-
tur. Insanabile illi semper vulnus quælibet DEI offensa, quæ occur-rebat; nihil tūm amplius in illum poterant seu calumniæ, seu verbe-ra, seu minæ mortis, quanquam palam intentatæ. Etsi luto, sordi-*Ex pro.* bus, & probris coopertus; et si ala-p. 133. pis & ictibus cæsus, animo tamen impavidus, immotus pede, divini honoris dignitatem strenue tueba-
tur: adversus impiorum hominum quemlibet insultum paratissimus erat millies & millies vitam DEO

immolare: ut jure dici possit martyrium potius defuisse JOANNI FRANCISCO, non JOANNEM FRANCISCUM martyrio.

Ex pro. p. 57. Adde insatiabilem cum DEO in orationibus tractandi consuetudinem: Cum interdiu occupationes plurimæ illi negâssent opportunitatem, nox abundè detrimenta compensabat, subductis necessariæ quieti horis non paucis. Confuevit in tot, & variorum adeò negotiorum cursu, atquè etiam in ipso progressu missorum, genibus flexis preces Canonicas recitare, & in Ecclesia potius, aut certè ante ejus fores, si clausas illas reperisset. Contigit, ut

Ex pro. p. 406. noctu aliquando locum pro missione destinatum attingeret, portamq; Ecclesiæ inveniret observatam; præratus ante eam, licet imbre madidus, nivibusque coopertus, eodem situ nocturni aëris aspergium rigo rem in seram noctem sustinuit, usque dum tandem à Parocho, & trascuntibus fortè colonis observaretur; quorum profusis tandem precibus impetratum, ut se in ædes recipret. Nec rerum agendarum molestæ, nec immodicæ laitudinis ratio eum unquam averterunt à divino sacri-

sacrificio quot diebus persolvendo. Quando in dictioribus sacris via se panderet suavissimum illi thema pertractandi, divini amoris magnitudinem in homines, & hominum debitum redamandi DEum, saepissime illi deerant & spiritus, & vox interclusa à charitatis flammis ad ejusmodi mentionem illico in corde surgentibus, & undique spargentibus ardorem. Affectus pariter tenuitatem gestiebat, flamas spirabat ^{Ex pro.} in vultu, spiritu colliquebat, quo ^{p. 113.} ties de DEI Matre sermones miscebat: devotio in eandem, modusque colendi erat dictiorum ejus quotidiani, sed jucundissimum argumentum.

Mensura P. JOANNIS FRANCISCI charitatis in proximum sit protestatio illa sincera, quam Sæpe in ore, semper in corde gerebat. Videlicet: si in sua optione foret, vel ^{Ex pro.} fine ulla mora subire Cœlum, vel in ^{p. 53.} terris degere ad alios, ut Cœlum subire possint, juvandos; paratiſſimus erat, quanquam vehementer beatam illam Patriam anhelaret, hic potius sistere tot inter labores, ac pericula, quæ secum fert conversio animarum. Quid sibi velit, diebus

integris affixum hærere confessio-
num tribunali ad audienda peccata
plebis , & multò amplius rusticæ,
ignorantis , importunæ, ac sæpe sæ-
pius ad tantum sacram étum minùs
dispositæ , quisquis confessiones ex-
cipit , haud multo negotio conci-
piet : & tamen P. JOANNES FRAN-
CISCUS trium, vel quatuor mensis

Ex profatio decem millia confessionum
p. 69. audiit, & ex his quingentas, ad qua-
rum valorem necesse fuit disquirere
ac reverti per gradus omnis ætatis
usque ad primum rationis usum.
Operoso huic ministerio tantum se
devoverat , ut ei non solùm dies im-
penderit integros, quin vel in men-
tem cibus veniret ; sed insuper hoc
in opere totis noctibus occupaba-
tur , ut aliquando opus fuerit indè
illum violentè abstrahere, ne à fame
& labore immodico præmaturè con-
sumeretur.

Solida Ejus in DEO fiducia rite
discerni potest è responso , quod
sederat querenti à se : cur adeò
negligeret, & nihili penderet, quod
honorem suum , valetudinem &
vitam servare posset ? *D'EUS est* ,
xeposuit, qui sollicitus est mei. Ejus-
dem generis illud est , quo se expe-
dit

dixit à quodam Parocho commo-
nente, ut in se esset mitior, & plus
curæ sibi impenderet: *Hoc foret, re-*
spondit illico, injuriam inferre illi Ex pro.
DEO, qui in me tam benignus p. 103.
ut, postquam tibiā fractā per duas
leucas, & vias admodum difficiles
ambulāram, mihi illam improvisò re-
stituit magis integrā, ac sanām.
Hinc ortum ducebat illa serenitas
immota animi & vultūs, absque eo,
quod unquam vel leviter ab æstu
cujusdam vehementioris passionis
obturbata videretur. Tunc solūm
totus spirabat ignem, cùm dedivi-
næ gloriæ Zelo ageretur, vel de
bello indicendo peccatis.

Servi DEI humilitas non mino-
rem sibi conciliat admirationem.
De prosperis successibus famosarum
missionum suarum, de fructu adeò
abundanter collecto, vel nunquam
loquebatur, vel in DEUM omnia
refundebat. Cùm degeret in Colle-
giis, nōrat apprimè artem velandi
fanētitatem suam vitæ ordinariæ, ac Ex pro.
communis colore, ut neutiquam p. 222.
virtutis fulgor erumperet. Diutur-
nas orationes suas, & asperas pœ-
nitentias non nisi tenebris, & silen-
tio confiderat. Vixtus parsimoniam
stoma-

Romachi indulgentiā colorabat , qui cibis grossis & rusticis consuetus non posset delicatoribus ferculis amplius assuefieri. Ut è miraculis per se patratis nullius gloriæ aut partem, aut periculum haberet, suadebat infirmis Sanctum aliquem invocare , & voto ad eum factō gratiam exoptatam implorare , cuius meritorum & intercessionis esset posteà laus integra miraculi. Severissimam sibi legem hanc indixerat , nullam se unquam sui defensionem suscepturn , seu apologiis , seu excusationibus , quantumcunquè enormes calumniæ forent , & querelæ , quibus oneraretur. Qualibet in re memor humilitatis suæ , in vestibus , quas portabat , semper laceras & neglectas ; in itineribus , quæ peragebat semper pedibus , pauperū more : cùm ad iter aliquando amici importunitate vixtus equi commoditatē admitteret , effecit ut humilitate suâ vicerit , nam jussò equum concendere amici famulo , ipse pone tanquam servus pedes sequebatur.

Has , atquè alias ejusmodi heroicas virtutes largiter illustravit Deus donis naturæ vires excedentibus . Hæc inter meritò numerandus est

pro-

prophetiae Spiritus, quo vel detegebatur abscondita, vel prædicebat futura. Luminis hujus virtute parentibus mærore confectis ob problem à medicis omni salutis spe constitutam spopondit in columem eam esse recuperaturos. Matri dolore percussæ, filio jam ad restum damnato, constanter promisit, hujusmodi supplicio, tametsi sub infami trabe jam staret, neutiquam afficiendum. Alteram, num pacis, an belli exercitiis applicandus esset filius, dubiam omni solicitudine exemit assecurans, filium intra breve temporis spatium moriturum. Viis incognitis, modisque insuetis penetrauit in cuiusdam feminæ peccatricis animam, & statûs infelicitate perspectâ, eius saluti consuluit. Alteri recoluit cogitationes & consilia nata simul ac sepulta in intimis eius cordis recessibus. Judici cuidam pertinaciter abnuenti servare in publicis carceribus captivatam adulteram, ut sic omni peccandi occasione elongaretur, indicavit, morte intra annum eventurâ illum obstitutionem hanc luiturum. Quibus omnibus, ut prædicta sunt, fideliter respondit eventus. Quid? quod *Ex pro. suæ p. 66.*

suæ mortis nuncium sibi meti psl, & aliis tulerit, in flore a modò ætatis, sanitatisque vigore: quoniam ro-gantibus Patribus Collegii Anicien-sis, ut, absolutâ, ad quam se viæ committebat, Lalovesii missione, redditum acceleraret in Civitatem; Non ego, sed socius meus duntaxat redibit, promptè responderat: sed cur ita? subdiderunt illi, & quo-modò sine socio foris? Iterum vobis dico, conclusit P. JOANNES FRAN-CISCUS, me non redditurum. Mors illius non diu post evolvit, quod sub iis verbis latebat.

Prophetiae dono adiungendum est alterum miraculorum. Ne illo-rum multitudine periculum non af-sequendi omnia subire necesse sit, pauca duntaxat, & paucis attinge-mus. Imperavit febri acutæ, ut de-
Ex profereret ægram, quam visitabat, &
p. 176. illa obtemperavit. Cæco iuveni
momento restituit visum optatissi-mum. Ut è lecto erigeret, & ferè
etiam eriperet Letho incolumem &
vividum puellum, qui à Medicis
jam mortuus habebatur, satis fuit,
infirmum Crucis signo munire. Cru-ciatus, atquè periculo levavit puer-peram, quæ partus difficultate cum
extre-

extremis doloribus luctabatur, &
 obtinuit, ut feliciter in lucem ede-
 ret fœtum. Ad leve ejus imperium
 evanuere subito à quadragenario
 quodam cæcitas, ab alio strumæ, ab
 altero Stygius Alastor, qui hoc do-
 micilium non suum octo annorum
 intervallo violentè occuparat. Opus
 cœptu facillimum, sed arduum ma-
 xime terminatu esset, recensere vel-
 le miracula, quæ post P. JOANNIS
 FRANCISCI obitum evenerunt.
 Paucis multa complexus est, qui
 expertus testimonium tulit, sibi
 idem fuisse, petere à DEO, ac im-
 petrare, quidquid vellet, dilecti
 ejus Servi meritis. Illius invoca-
 tione auxilii obtinuit subito Civis
 Anicii desideratissimum solatium,
 ut eodem tempore tres herniæ nullâ
 arte curandæ evanescerent. Votum,
 quo S. Patri se commendaverat, fuit
 potens remedium continuâ paralysi
 membris omnibus captæ, ac suimet
 impotenti, ut membra omnia valida
 ac sana reciperet. Virginem DEO *Ex pro.*
 dicatam in supremum discrimen *p. 66.*
 septem mensium hydrops perduxerat,
 ut Medico mandante sacris iam
 mudita mortem proximè opperire-
 tur: lipsariorum tamen attachu cor-
 pus


pus detumuit, somno etiam redeunte, post quem evigilans sanam se & viribus integrum est admirata. Antonia Stival, Anicii nata, penitus

Ex pro. amiserat oculorum usum: Medicis p. 131. & Chirurgi, variis, at omnibus irritâ curâ adhibitis mediis, artem denique vitam, & morbum invincibilem dictitârunt; sed huic tandem cedere necesse fuit, applicatis reliquiis P. JOANNIS FRANCISCI, & hoc sufficiebat ad lucem ita recuperandam, ut illico videre potuerit, & primò quidem ante omnia Patroni sui imaginem sibi propositam, quin imò poterat se deinceps occupare efformandis vittis sericeis, quæ subtilissimorum filaminum texturâ exigunt visum peracrem.

Ex pro. Joannam de Perga malum non unum, sed malorum omniū cumulū lus obsidebat, quæ duobus jam ab annis lecto affixa, membrisque capta, motis omnis impos, cornisrationem movit intuentibus: tibia sinistra coxendici retrò conjuncta erat, nervis violenter attractis; dexterâ tibiâ suo quidem in loco remanente, sed inflexibili & vinculata: Brachium dextrum pariter retrahitum, & immobile, ac pectori affi-

xum: superiorum dentium ordo va-
lidè constrictus cum inferioribus :
renes ferè dimidio pede suppressi :
Stomachus quatuor digitis prorum-
pens. Majorum iliadi supervene-
runt, ceu appendices, acutissimi do-
lores, violentissimæ convulsiones,
& post hæc prostratæ ex integro vi-
res, certa mortis præfigia. Ad hanc
igitur jam comparans se Joanna
dum nocte quâdam, quod plerum-
què fieri solebat, in somnis, vigil-
que agit, en! improvisò coram se
conspicit P. JOANNEM FRANCI-
SCUM veste talari, sereno vultu,
brachiis ad modum Crucis pectori
decenter admotis, qui suaviter il-
lam solabatur, animabatque. Tan-
tum consolationis & animi hausit
illa, ut confessim se voto obstringe-
ret quâm primùm visitarum Lalo-
vesi ejus sepulchrum, facturamque,
ut novem ibi sacrificia totidem die-
bus ad aram litentur. Dum deinde
parentibus suis easum, atqué itine-
ris propositum enarrasset, difficiles
eos habuit ad indulgendum, metu,
ne id esset mortem accelerare, non
vitam curare, hiemis potissimum
rigidioris tempore in memoriam
revocato. Joanna tamen moræ im-
pati-

patiens non desinit instare pro optata facultate, constanter affirmans non d. futuram sibi sanitatem, modo beatis Servi Dei cineribus adesse posset. Victis tandem parentibus hilariter viam init lexicā deportata Mense Januario: quō magis appropinquabat Lalovelio, eō plus malum à se recedere sentiebat, simulque corpus vigore, animum fiduciā repleri. Ut verò pervenit ad prodigiis celebre sepulchrum, benignos illico influxus experitur: primā enim die ad stata loca redierunt renes & stomachus, die sequenti restituitur motus dexteræ tibiæ, & libertas sinistræ à coxendice iam disjunctæ; tertiâ die & quartâ hæc, & illa incliūs distenduntur, atquē convālidantur: die quintâ tempore quidem divini sacrificii Beato oblati, dentes adeò pertinaciter inter se constricti ex improviso dissolvuntur. Recuperatâ intra dies quinque cum tot prodigiorum impendio completa sanitate triumphantis instar patriam repetiit Joanna, omnésque admiratione, jubilo, & in Sanctum devotione replevit. Demum narrata haec tenus, plurimis aliis hic prætermissis, distinctius & uberiorius exponentur in vita suorum
S. JOANNIS FRANCISCI REGIS,
 quæ typo paratur.



26